

# Marabilia Rome.



Dg

450

1001

a

*Strabilia*  
*Rome.*

Dg 450-1001/a



# Wunderbarlia Rom.



## ¶ Mirabilia urbis Rome.


**M**Vrus urbis Rome habet trecētas sexaginta & una; turres. Propugnacula sex milia & nonaginta: & .xxii. milia Porticularia. In circuitu uero sunt .xxii. exceptis transtiberim & ciuitate Leonina & porticu sancti Petri: ubi sunt .xx. uiliaria.

### ¶ De portis infra Urbem.

Porte inclite sunt he. Porta Capena que dicitur sancti Pauli. Porta apia que ducit ad Dñe quo uadis. Porta latina ubi sanctus Ioānes fuit missus in oleo. Porta metioni ubi riuulus influit urbē. Porta asinaria in Lateran. Porta lauicana que maior est: que est iuxta sanctā Crucem in Ierusalem. Porta taurina uel tiburtina que sancti Laurēti dicit. Porta numentana que uadit ad sanctā Agnetez uirginem. Porta Salaria que uadit uersus sanctā Sabinam. Porta pincina que est circa ecclesiam sancti Felicis. Porta flaminea que est circa ecclesiam sancte Marie de populo. Porta colina que est contra templum Adriani supra pontem.

### ¶ De portis transtiberim.

Porte transtiberim sunt tres. S. Porta septimam



1981. 220

ubi. v. laudes facte fuerūt Octaulano Impatori.  
Porta aurea. s. sancti Pancratii. Porta portuensis  
¶ In porticu sancti Petri sunt due porte. s. Porta  
castelli sancti Angeli. & Porta uiridaria.

¶ De montibus infra Urbem.

Mons Ianiculus ubi est sc̄tus Petrus. Mons tau-  
rinus qui dicitur Ianitarius. Mons auentinus ubi  
est ecclesia sc̄te Sabine. Mons quīrialis ga ibi sta-  
bāt quīrites: ubi est ecclesia sancti Stephani que  
dicitur in Celiomōte. Mons tarpeius uel Capi-  
toliū: ubi est palatiū Senatōꝝ. Mons palatinus  
ubi est palatiū maius. Mons inquilinus sup alios  
montes dicitur: ubi est basilica sancte Marie ma-  
ioris. Mons uinalis ubi est ecclesia sancte Aga-  
the: ubi Virgilius captus fuit a Romanis: qui uisi-  
biliter extens a carcere prexit Neapolim.

¶ De pontibus Urbis.

Pontes urbis Rome sunt isti. Pons Adriani uel  
Iudeoꝝ. Pons Fabiani iuxta prefatum pontem  
Pons Gratiani. Pons Senatōꝝ. Pons Theodo-  
sij. & Pons Valentini.

¶ Palatia Imperatoꝝ sunt hec.

Palatium magnū in monte p̄latino. Palatiū se-  
natuū prope sanctum Sixtum. Palatium Claudi

Inter Coliseum & sanctū Petrum ad usnēcula. Palatium Constantini in Laterano. Palatiū Romuli inter sanctam Mariam nouam & Cosmā: ubi sex edes pietatis & cōcordie ubi posuit Romulus suā statuā dicens: Hec statua nō cadet donec uirgo pariet. Et statim cum beata Maria uirgo peperit statua corruit. Palatium Traiani: ubi est colūna. xx. passuū. Palatium Siluestri. Palatium Antonii: ubi est alia columna. xxxiiii. passuū. Palatium Neronis: ubi est angulea sancti Petri. Palatium Octauiani ad sctm̄ Laurentiū in lucina.

¶ De arcubus triumphalibus.

Arcus triumphales sūnt hi: qui fiebant alicui imperatori redeunti: sub quibus cū honore ducebatur a Senatoribus: & eius uictoria ad memoriā eorū in arcu sculpebatur. Arcus Theodosii Valentini & Gratiani Imperatorū ad sanctū Vitū. Arcus Constantini imperatoris iuxta Coliseum. Arcus septem lucernarū Titi & Vespasiani: ubi est candelabrū Moysi cum archa habens septem brachia in pede turris calculatorie. Arcus Iulii & Senatoris ad sanctā Mariā nouam. Arcus Octauiani Imperatoris ad sanctum Laurentiū in Lucina. Arcus Antonii ad columnā.

### ¶ De arcubus non triumphalibus.

Alii sunt arcus nō triumphales sed memoriales ut est arcus pietatis ante sanctā Mariam rotundā ubi accidit quedam historia de paupere muliere cuius filius occisus erat a uicine sue filio: que petiit ius sibi fieri ab Imperatore Traiano parato ire ad exercitum: qui se ius dixit facturum in reditu: que respōdit. Forsan dñe nō redibis. Quī statim fecit ibi consistorium: & fecit ei scdm q̄ petierat. iudicauitq̄ iuuenem homicidam moriturum: quem mulier petiit sibi reddi pro recompensatione filii sui mortui. quod ita factum est: & mulier fatebatur se plenum ius recepisse: & mulier ditata ab Imperatore recessit.

### ¶ De Termis.

Terme dicuntur palatia magna habentia maxime criptas subterraneas in quibus tpe hyemali fiebat ignis maximus. Estiuo autē tempore: replebantur aquis ut curia in superioribus cōmorās magis delectaretur qđ in termis Diocletiani. & Maximiani adhuc uideri potest. Terme Limpiadis apud sanctū Laurentiū in palispna. Terme Domiciani tyberine sunt retro Mariā rotundā. Terme Alexandrine ubi est hospitale de termis.



### ¶ De Theatris.

Theatra sunt ista: Theatrū Titi & Vespasiani ad cathecumbam. Theatrum Tarquini imperatoris ad septifoliū. Theatrū Pompei ad sctm Laurentium in damaso: & est ibi theatrū flamineuz.

### ¶ De Angulea sancti Petri.

Ibi est memoria Cesaris: ubi splēdidus cinis in suo sarcofagio idem malo ereo requiescit ut sicut eo uiuente totus mūdus ei subiectus erat sic ipso mortuo oīa corpora mortuoz sibi subiacerent ubi in giro mali scriptum est. Cesar tantus erat quo nullus maior ī orbe. Sed ī modico nūc tam magnus clauditur antro. Intra scriptora stat Cesaris alta columna. Regia structura quāta nō extat in aula. Si lapis est unus qua fuit arte leuatus. Et si sunt plures dic ubi congeries.

### ¶ De Cimiteriis.

Cimiterium calepodii ad sanctum Pancratium. Cimiteriū sancte Agathe. Cimiteriū sancti Viti ad portaz colinā. sancti Felicis. Calixti ad cathecumbas. Cimiteriū concordiani foris portam latinam. sctē Agnetis. & alia q̄plura cimiteria que in multis locis descendebantur per tria miliaria ubi sancti abscondebantur.

**¶ Loca ubi sancti passi sunt.**

Foris portaz Apiam fuit decollatus sct̄s Sixtus.  
p̄pe Dñe quo uadis: ubi fuit templū martis: añ. s.  
nereū intus cauari ad sct̄m Georgiū domus Lus  
cine: & est ibi uelū aureū aqua salua ad sanctum  
Anastasiū ubi decollatus fuit sct̄s Paulus ortus  
Lucine: ubi est ecclesia sancti Pauli: & est ibi pro  
pe amphibiatū ubi ē corda ī qua factatū fuit cor  
pus sancti Sebastiani: qui reuelauit corpus suum  
Lucine dicens. Inuenies corpus meuz pendēs in  
uico p̄ pedes iuxta stratā que d̄r uia Cornelii iu/  
xta Girolū arcus Romanoz: ubi bt̄s Siluester  
& Constantinus obligauerūt se ab inde: ubi fuit  
domus telluris añ Martē. Terme lamptadis ubi  
fuit assatus sct̄s Laurētius in palispna. Palatiū ti  
burrinum ubi Decius & Valerianus recesserunt  
ab Laurentio mortuo. Arcus flāmeus ad pōtem  
Iudeoz transtiberim infra palatiuz Neronis &  
templū Appollinis qd̄ d̄r scē petronelle añ eccle  
siam sancti Petri fuit uaticanū: ubi uates. i. sacer  
dotes canebant sua officia. Añ templū Appolli  
nis fuit castrū Neronis ubi nunc est ecclesia sct̄i  
Andree. In fastigio pantheonis. i. Marie rotūde  
fuit pinea crea deaurata que nūc est añ templum.

Sancti Petri que coopta erat tabulis ereis deauratis: ita quod a longe uidebatur quasi mons aureus: cuius pulchritudo adhuc parti apparet.

¶ De Templis.

Ante palatium Alexandri fuit templum Enee & Pompei mire pulchritudinis. Monumentum uero Pompei quod dicitur marmoreum decenter ornatum: fuit oraculum Appollinis: & ecclesia sancti Viti fuit secretarium Neronis: In palatio Antonii est templum diui Adriani. In campo martis fuit templum Martis: in quo eligebantur Consules quarto kal. Iulii: & morabantur usque ad kal. Ianuarii. In hoc templo ponebant Romani rostra nauium ut essent specula omnium gentium. Iuxta partheon erat templum minerue. Apud Cyriacum erat templum Veste. In calcari est templum Venere. Monasterium rose fuit Castellum Iunonis.

¶ De Capitolio.

Capitolium dicitur quod erat caput totius mundi in quo Consules & Senatores morabantur ad consulendum Urbem cuius facies cooperta erat muris altis & aureis vitro & auro undique coopertus. Infra Capitolium fuit palatium pro magna parte aureum lapidibus pretiosis exornatum quod

dicebatur ualere terriã partem mundi: In quo tot  
statue erant imaginũ quot sunt mundi puincie.  
Et habebat quelibet imago tintinabulũ in collo  
per artem mathematicã dispositũ: ut quando ali  
qua Regio po. Ro. rebellis efficeretur: statim hu  
ius puincie imago uertebat dorsum imagini ur  
bis Rome que maior erat sup alias tanq̃ dña: &  
tintinabulũ quod habebat in collo sonabat: tunc  
custodes Capitolii dicebant id Senatuĩ: statimq̃  
mittebant legiones militũ ad expugnandũ puin  
ciam. Erant in Capitolio plura templa. Super ar  
cum erat templũ Cesaris & Veste ubi senatores  
ponebant Iuliũ cesarem in Cathedra. vi. martii.  
Et ex parte Capitolii erat templũ Iunonis. Iux  
ta forum publicum erat templũ Herculis in tar  
peio & Achillis ubi interfectus est Iulius cesar a  
Senatu in loco ubi est ecclesia Ara celi: & fuerũt  
templa simul iuncta. Palatiũ Phebi & Carmetis  
ubi Octavianus uidit uisionem suam in celo. Iux  
ta Caneparium est templum Iani qui erat Capi  
tolii custos.

¶ De equis marmoreis.

Equi & homines nudi significant q̃ tpe Impera  
toris Tiberii fuerũt duo Philosophi iuuenes scz

Praxitells & Pittas: qui dixerunt se esse tante sapientie: ut quid Imperator illis absentibus in camera sua diceret: ipsi referrent de uerbo ad uerbum: quod fecerunt ut dixerunt: & inde pecuniã non petierunt sed memoriã sempiternã: ita quod philosophi haberent duos equos marmoreos calcantes terrã: qui significant principes huius seculi: quia nudi sunt circa equos significat quod altis & extensis brachiis & replicatis digitis narrabant que futura erant ut sicut nudi sunt: ita scientia huius mundi in eorum mentibus nuda & aperta est.

¶ De rustico sedente super equum.

Ad lateranũ est equus ereus & deauratus: qui dicitur caballus Constantini: sed non est sic. Nam qui uolunt scire uerũ hoc plegant. Tunc consulũ & Senatorũ quidã rex potētissimus ex orientis partibus Romanã uenit: multa strage Romanũ populũ affligens tunc quidã Rusticus aruiger magne fortitudinis uirtutis: & prudẽtis: dicit consulibus & Senatoribus. Nunquid si esset aliquis liberans uos de tribulatione ista quod a Senatu recipere mereret? Responderunt quicquid peteret obtineret. Qui ait illis date mihi .xxx. talẽta auri: & insup memoriaz fieri sempiternã: & quod equũ ereũ staturam meaz

desuper facietis: & ab illis uos in breui liberabo  
Qui dixerunt se oīa facturos. ille uero ait. Me-  
dia nocte surgetis: & oēs estote armati bñ. & ste-  
tis infra muros in speluncha: & q̄quid uobis di-  
xero facietis. Et respōderunt faciemus. Rusticus  
uero ascendit equū suum maximū sine sella: tol-  
lensq; falcē exiit foras tanq̄ uellet colligere her-  
bas. uiditq; regē uenientē ad arborem p̄ necessa-  
riis suis: sup quā arborez quedā cucumagia sede-  
bat dulciterq; canebat. Rusticus hoc audiens ac-  
cessit p̄pius & socii regis putātes rusticuz de suis  
esse clamare sic ceperunt rustice nō tanges regē:  
quia si tetigeris suspenderis. Rusticus uero spre-  
tis eoz minis: p̄ fortitudinē regez parue stature  
cito arripuit & eū subleuans posuit corā se super  
equū: & fugit ad urbē uelociter: clamās uoce ma-  
gna ad hoies urbis in cauernis latitantes. Exite  
foras interficite exercitum regis. quoniā ip̄m co-  
ram me nūc teneo captū. Qui exeūtes ad uocē  
eius multos occiderunt: & alii in fugā uersi sunt.  
Romani habito triumpho soluerunt ei aurū qd̄  
petierat: & fecerunt memoriā eius & in p̄ntatio-  
ne stature sue quā posuerunt coram palatio La-  
teranensi unū equum ereū & deauratum. & statu

ram ipsius desup sedentē deauratā : extēsa manu  
dextra: cū qua regē ceperat & sup caput equi quā  
dam cucumagiā posuerūt: ad cuius cantū uictō  
riā habuerūt: ipsam staturā regis que pua erat re  
tro ligatā manibus sub dicto equo collocarūt.

¶ De Coliseo.

Coliseū fuit templū Solis mire magnitudinis &  
pulchritudinis diuersis cauernis adaptatū & co  
opertum erat celo erco & deaurato: ubi tonitrua  
fulgura & coruscationes fiebant: & pluuie mitte  
bantur per fistulas plūbeas. Et erāt ibi signa sup  
celestia: & planete cū Sole & Luna quadrigis ue  
hi uidebantur. In medio sedebat dñs Phebus de  
us Solis qui pedes ad terrā uertebat & caput eius  
celū tangebāt: qui palmā in manu sua tenebat: de  
signans q̄ Roma totū mundū regebat. Post ue  
ro multū temporis spaciū beatus Siluester iussit  
templū destrui: & etiaz alia q̄plura: ne peregrini  
uentirent Romā ppter edificia antiqua & deoz  
famā: & nō propter ecclesias sanctoz transirent  
multimoda deuotiōe. Caput uero & manus pre  
dicti idoli cū pomo ad palatiū in Laterano fecit  
poni in memoriā: que palma & caput Sampso  
nis false uocantur a uulgo. Palatiū prefatum erat

templum Turbi per quod intrabant & prefata si-  
mulatio in querimonia fundebat tempore con-  
sultuū & Senatorū orationes.

¶ De sancta Maria rotunda.

Agrippa prefatus subiugauit Ro. se. sclauos &  
Saxones occidere fecit: & iussit. iiii. legiones in  
eius reuocatione tintinabulū statue presidis que  
erat in templo Iouis & minerue sonabat: quia sta-  
tua uniuscuiusq; regni totius orbis in tēplo illo  
erat posita cum tintinabulo ad collū: quando son-  
nabat regnū id cognoscebatur rebelle. Huius au-  
tem statue presidis tintinabulū audiens sacerdos  
qui erat in spelunca in hebdomoda illa: nuntia-  
bat sacerdotibus. Senatores autē legionem hanc  
prefato Agrippa iniunxerunt: ut iret ad Persas  
subiugādo. Qui omnino tenuens & dicens se  
nō posse pati tantū laborez. Tandē uictus petiit  
consiliū trium dixer: infra quos quedaz nocte ex  
nimio cogitatu fatigatus obdormiuit: & quedaz  
femina ei apparuit que ait. Agrippa quid cogi-  
tas: in magno es cogitatu. consolare & pmitte  
mihi templū quale ostendā tibi & dicaz quomō-  
eris uicturus. Qui dixit. Faciam dñā. Illa ostens-  
dit ei in uisione templū rotunduz ad modū pan-



theon. Ille uero dixit. Dña que es tu? Que res-  
pondit. Ego sum Cibeles mater deoz: fac mihi  
libamina & Neptuno qui est deus maris ad ho-  
norē meū: quia tecū erimus: & uinces oēs rebels  
let. Agrippa uero surgens hec recitauit Senatui  
& ciuitates acceuerūt uerbis suis. Igitur cū mag-  
no apparatu nauū: & .v. legionibus militū uenit  
ad Persas & eos debellauit & posuit sub tributo  
Senatui Ro. annuatim. Et rediēs Ro. fecit tēpluz  
fieri quod pmiserat: & dedicauit ad honorē Ci-  
belis matris deoz: & imposuit buie nomē Pan-  
theon: & fecit staturā Cibelis deauratā quam po-  
suit in fastigio pantheon sup foramen & coope-  
ruit eā mirifico tegumēto ereo & deaurato. Bea-  
tus uero Bonifa. pa. post multū tps uidēs idē tem-  
plū tā egregie dedicatū ad honorē cibelis anteq̄  
xpiani pturbarent aliquoties a demōibus: acces-  
sit ad Impatorē xpianū rogās eū hoc tēpluz sibi  
tradi: qđ impator cōcessit eidē libēter. Papa uero  
cū Ro. po. i. kal. nouēbris dedicauit idē & statuit  
ut ex illo die Ro. pon. cū ro. po. ibi cōuenirēt: &  
Pa. missām celebraret: & pplus cōicaret sicut in  
die Natiuitatis dñi: & eodē die p uniuersuz orbē  
festū btē uirgīs Marie & oīm sctōz celebraret.

¶ De Octauiano Imperatore.

Post uero multum tps Senatores uidētes Octa  
uianū tāte pulchritudinis & p̄speritatis & q̄ to  
tū tribuariū fecerat: dixerūt. Volumus te adora  
re: q̄a diuinitas in te est: si hoc nō esset uō emer  
geretur tibi p̄spera. Qui rennuens inducias po  
stulauit: & ad se Sybillam tyburtinā uocari fecit:  
cui quod Senatores dixerūt recitauit: & q̄ spaciū  
triū dieꝝ petiit ut sibi cōsuleret: in q̄bus artū ies  
uniū opata est: post tres dies r̄ndit Impatori. Sic  
iudiciū signuz tellus sudore madescit de celo rex  
uenit per sc̄la futurus ilico. Postq̄ dixisset hoc ce  
lū aptū est & splēdor maximus irruit sup eū. Vi  
ditq̄ in celo uirginē pulcherrimā & pueꝝ ī bra  
chiis tenentē sup altare dei quod miraretur ualde.  
Audiuit uocē dicentem. Hec ara est filii dei.  
Qui statim procidit in terram & adorauit xpm  
uēturū. Quod recitauit Senatoribus: de quo mi  
rati sunt ualde. Et fuit hec uisio in Camera Impe  
ratoris: ubi nunc est ecclesia sancte Marie in Ca  
pitolio: & ideo uocatur sancta Maria Ara celi: &  
est ecclesia fratrum Minorꝝ.

¶ Deo gratias.

EDIZIONE DI EUCHARIUS SILBER  
ROMA 1500 CA. RISTAMPATA DA  
CASCIANELLI SICARI SCURA  
IN 75 ESEMPLARI DI CUI  
25 SU CARTA MILIANI  
"SEC. XIII" E LEGATI  
IN PIENA PELLE  
NUMERATI

FUORI COMMERCIO

NATALE 1980

N. 16



